

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES**

University of Toronto

*Level One Medieval Latin Examination*

**15 April 2019**

\*\*\*\*\*

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

\*\*\*\*\*

**1. A matron and a monk make mischief in the monastery**

Narrauit mihi quidam homo quod in partibus, in quibus commoratus fuerat, accidit quod quaedam ualde religiosa et honesta matrona, frequenter ueniens ad ecclesiam deuotissime Domino seruiebat. Quidam autem monachus, custos et thesaurarius monasterii, magnum nomen religionis habebat, et reuera ita erat. Cum autem frequenter in ecclesia de iis, quae pertinent ad religionem mutuo loquerentur, diabolus inuidens famae eorum inmisit eis uehementes temptationes, ita quod amor spiritualis conuersus est in carnalem, unde dixerunt sibi et assignauerunt noctem in qua recederet monachus a monasterio cum thesauro ecclesiae et matrona a domo sua cum summa pecuniae quam auferret clam marito. Cum autem sic fugerent, monachi surgentes ad matutinas uiderunt arcas fractas et thesaurum ecclesiae asportatum, et cum non inuenirent monachum, festinanter secuti sunt eum. Similiter maritus dictae mulieris, uidens arcum suam apertam et pecuniam ablatam, secutus est uxorem suam et, apprehendentes monachum et mulierem cum thesauro, reduxerunt eos et in arto carcere posuerunt.

## **2. The free peasants of Freising promise to perform service and pay fees**

Isti sunt liberi homines, qui dicuntur barscalci, qui et cum Wagone coram multis  
conplacitaverunt, ut ecclesiasticam acceperunt terram; de ipsa terra condixerunt facere servitium.  
Isti sunt: Saxo, Oadalmunt, Toto, Sigadeo, Deotmar arant dies 3 tribus temporibus in anno et  
secant tres dies, illud collegunt et ducunt in horrea. Weliman, Cozpald, Waldker arant sicut supra  
et secant et ducunt in horrea et reddant modios 15, ex his tres de ordea, una friskinga valente  
saicas 2. Selprat et Alprat similiter arant et secant et ducunt ad locum. Hroadfrid arat pleniter  
sicut alii servi et donet modios 10 de avena et una friskinga valente saicas 2. Istud firmiter  
condictum est, ut eis nullus amplius maiorem servitium iniungere valeat, set itinera vicissim  
agent.

## **3. God made the Word man through Mary**

O eterne Deus,  
nunc tibi placeat  
ut in amore illo ardeas,  
ut membra illa sumus  
que fecisti in eodem amore,  
cum Filum tuum genuisti,  
et inspice necessitatem hanc  
que super nos cadit  
et abstrahe eam a nobis  
et perduc nos in leticiam salutis.

O splendidissima gemma  
et serenum decus solis  
qui tibi infusus est,  
fons saliens  
de corde Patris,  
quod est unicum Verbum suum,

per quod creavit  
mundi primam materiam  
quam Eva turbavit.

Hoc Verbum effabricavit tibi  
Pater hominem  
et ob hoc es tu illa lucida materia  
per quam hoc ipsum Verbum exspiravit  
omnes virtutes,  
ut eduxit in prima materia  
omnes creaturas.

Hodie aperuit nobis  
clausa porta  
quod serpens in muliere suffocavit,  
unde lucet in aurora  
flos de Virgine Maria.

Quia ergo femina mortem instruxit,  
clara virgo illa interemit,  
et ideo est summa benedictio  
in feminea forma  
pre omni creatura,  
quia Deus factus est homo  
in dulcissima et beata uirgine.

#### **4. Dhuoda desires to see her son**

Volvente et crescente calamitate huius saeculi miseria, inter multas fluctuationes et discordias regni, imperator praedictus viam omnium isse non dubium est. Nam infra XXVIII anno regni eius, non perveniens ad summum, vitam saeculi debitam finivit. Post mortem quoque eius, in anno sequente, nativitas fratri tui XI Kalendas aprilis: ex meo secundus post te, in Uzecia urbe, Deo miserante, egressus est utero. Etenim parvulum illum, antequam baptismatis accepisset gratiam, dominus et genitor Bernardus utriusque vestrum, una cum Elefanto, praedictae civitatis episcopo, et cum ceteris fidelibus suis, in Aquitaniae partibus ad suam fecit adduci praesentiam. Sed cum diu, ob absentiam praesentiae vestrae, sub iussione senioris mei, in praedicta, cum agone illius iam gaudens, residerem urbe, ex tuo desiderio utriusque vestrum hunc codicillum secundum parvitatis meae intelligentiam tibi transcribi et dirigere curavi. Item eiusdem. Licet ex multis sim occupata angustiis, ut tuo aliquando conspicerem aspectu, tamen haec una secundum Deum in arbitrio constat prior.